



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 40. Decreto hujus subscriptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.

A. C. 1439.

totiusque Ecclesie caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere; & ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in Canonibus ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus; salvis videlicet privilegiis omnibus, & juribus eorum. Idem Florentie in Sessione publica Synodi solemniter in Ecclesia majori celebrata, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tricesimo nono pridie Nonæ Julii (id est sexta) Pontificatus nostri anno nono. Ceterorum omnium primus summus Pontifex subscriptus legitur.

§. XL.

Decreti unionis subscriptio.

In actis hujus Concilii summi Pontificis subscriptio præmittitur, dein Latinorum nomina leguntur, nempe, octo Cardinales, ex quibus quatuor erant Presbyteri Cardinales tit. S. Crucis; tit. S. Clementis; tit. S. Marci; & tit. S. Sabine

qui erat Cardinalis Julianus; item Cardinalis de Bononia Ostiensis Episcopus; Cardinalis Placentinus, Episcopus Portuensis, Prosper Columna Cardinalis Diaconus tit. S. Georgii ad velum aureum, & alius quidam pariter Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ in via lata. Præter hos ex Latinis subscripserunt duo Patriarchæ, scilicet Hierosolymitanus, & Gradenfis, duo Episcopi Burgundiæ Ducis Oratores, & octo Archiepiscopi præter quadraginta septem Episcopos, quos inter numerabantur nonnulli necdum consecrati: Post illos quatuor Generales ordinum, Abbates quadraginta & unus, necnon Archidiaconus Trecensis, qui dicti Burgundiæ Ducis Legatus erat. Ob id vero haud plures subscripti leguntur, quia a Sessione, quæ die vigesima quarta Maji habita est, integrum trimestre cum dimidio præterlapsum fuerat, quin hoc decretum publica ceterorum subscriptione muniretur, quo intervallo Latinorum plurimi jamjam Florentia discesserant.

Græco autem auctographo subscripti numerantur sequentes, & quidem omnium primus nomen suum apposuit Joannes Palæologus Imperator, quem Patriarcharum Vicarii sequebantur, & præ ceteris Archiepiscopus Heracleensis, & Protosyncellus Patriarchæ Alexandrini locum tenentes; Constantinopolitanus enim

Gg 4

Patriar-

Sæcul. XV. Patriarcha jamjam mortem obierat: de-
A. C. 1439. nique Archiepiscopus Russiæ Patriarchæ
 Antiocheni, & Archiepiscopus Monem-
 basiensis Hierosolymitani Patriarchæ Vi-
 carii; item Metropolita Cyzizi tam suo
 quam Ancyrani nomine; Trapezuntina
 Metropolita itidem proprio, & Cæsariensis
 nomine; Bessarion Nicænus pro se, &
 pro Metropolita Sardium; Nicomedien-
 sis, Tornobiensis, & Mitylenensis Episco-
 pi, quorum ultimus Sidensis quoque
 cum supplevit; Metropolita etiam Mada-
 doblechiensis suo, & Sebastiensis Episco-
 pi nomine, item Amasiæ, Rhodi, & ta-
 dem Distrensis, Gannensis, Melenicensis
 Dramensis, & Anchialiensis, omnes Episco-
 pi, uti & magnus Scevophylax, magnus
 Chartophylax, magnus Ecclesiarcha, ge-
 marius Judex, & Ecclesiæ Constantino-
 politanæ Archipresbyter unacum Regis
 Monasterii in monte sancto Ecclesiarcha
 & quatuor Abbatibus. Itaque cum om-
 nes tam Græci, quam Latini decretum
 unionis signassent, manum Pontificis re-
 verenti osculo venerati sunt, ac mutuis
 amplexibus se invicem consalutarunt om-
 nes, pacis, ac perfectæ inter utramque
 Ecclesiam concordia velut perennatis-
 simum monumentum erigentes.